Quelle: https://manuscripta.at/?ID=889
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Kalendas iuniarum. Undecimus epifi .vii. kalendas iuliarum. Duodecimus me
sor .viii. kalendas augustarum die sumit exordium. Quem .x. kalendarum sep
tembrium die terminantes. residuos .v. dies epagomenas vel in
kalares siue additos uocant. Quibus et quarto anno diem sextum
que ex quadrantibus confici solet adnectunt. Unde fit ut eorum anni
primi a bissexto tertio kalendarum septembrium. ceteri uero .iiii. kalendarum
earundem die sortiantur initium. Ipsi autem bissextiles anni .iiii.
ceteri uero kalendarum memoratarum die terminentur. Porro dissonantia quam
bissextilibus annis accipit intercalati ab eis quadrantis dicimus
oriri. Non autem nostre tempus intercalationis que fit .vi. kalendas martiarum
die in computo lune vel eorundem festiuitate dierum potest cum nostri an
ni circulo recipere concordiam. sed idem dies festus eadem luna. ubi gratia
septima. que apud nos secunda sabbati. apud illos tertia sabbati computatur.
Et cetera in hunc modum. De mensibus romanorum. xii.

> A iiii. kalendas Septembris usque ad vi. kalendas martias
> habemus discordiam in bissextili anno
> cum illis quia illi addunt diem unum nos
> non nisi in v. kalendas martias.

QVARE autem romani tam diuerse longitudinis. habent men
ses. hec ut in disputatione chori et praetextati legimus causa
extitit. Romulus cum ingenio acri quidem sed agresti statum
proprii ordinaret imperii. initium mensis ex illo sumebat die quo
nouam lunam contigisset uideri. Sed quia non continuo euenit ut
eo semper appareat. sed modo tardius modo celerius ex certis causis uide
ri solet. contigit ut cum tardius apparuit. precedenti mense plures
dies. aut cum celerius pauciores darentur. et singulis quibusque mensibus perpe
tuam numeri legem primus casus adduxit. Sic factum est ut alii .xxx.
et unum. alii .xxx. sortirentur dies. Primum mensem martii. cuius
se filium credi uoluit dicauit. eo quod hoc mense constet iunonem
martem pepisse in frigia. quem mensem anni primum aliquando fuis
se vel ex hoc maxime probatur quod ex eo septimus. octauus. nonus. ac
decimus. inde dictum antiquitus. a numero nomen usque hodie seruatur.
Secundum mensem nominauit aprilem. qui aprilis eo quod [illegible] per in illo re
motis nubilis pruinis. ac tempestatibus hibernis. celum
astrologis alta uidentibus vel interna [illegible]
terra et mare nautis agricolis et horoscopis aperiat. Arbores
quoque et herbe ingerminent. sed et animantia queque in prole se aperi
re incipiant. Maium tertium quartum iunium posuit. in honorem
uidelicet maiorum ac iuniorum. in quos diuisit populum. ut altera pars
armis altera consilio. rem publicam tueretur. Contendunt alii
maiam mercurii matrem maio nomen dedisse hinc maxime p